



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Theses Theologicae De Homicidio**

**Huygens, Gommarus**

**Lovanii, [1684?]**

**urn:nbn:de:bvb:12-bsb10951915-6**



Th. 2170.

D. IV

3.



122

123

THEOLOGIA MORALIS

TRACTATUS

APPENDIX

PROPOSITIONES



THESES  
THEOLOGICÆ  
DE  
HOMICIDIO

In quibus exhibentur Observationes circa aliquot de  
eadem materia Propositiones ex LXV.

A SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO  
INNOCENTIO XI.

CONDEMNATIS

QVAS PRÆSIDE

EXIMIO VIRO DOMINO AC MAGISTRO NOSTRO

GUMMARO HUYGENS

LYRANO,

DEFENDET

JOANNES VANDER VORST Ex VELTEM.

In Collegio ADRIANI VI. Pontificis die 4. Augusti 1684.



LOVANIÏ,

Typis GUILIELMI STRYCKWANT, sub aurca Lampade.



## CONCLUSIO PRIM A.

*Non nisi Authoritate divinitus concessa hominem occidere licet.*



**S**anguinem animarum vestrarum, inquit Deus ad Noë & ad filios ejus, requiram de manu cunctarum bestiarum; & de manu hominis, & de manu viri, & fratris ejus requiram animam hominis. Quicumque effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius: ad imaginem quippè Dei factus est homo. Gen. 9. Consonat lex in Monte Sinai promulgata, dum ait: *Non occides*: Deus enim jus vitæ & necis ita sibi soli reservavit, ut hominem ab homine occidi noluerit, nisi secundum exceptiones ipsius Dei autoritate factas, quales sunt duæ tantum; una dum per legem generalem potestas occidendi data est; puta Principi, aut Reipublicæ autoritate Dei habenti jus gladii: *Dei enim Minister est: vindex in iram ei, qui malum agit.* Rom. 13. Altera exceptio est, dum Deus speciali jussione certæ alicui personæ præcipit hunc illumve hominem occidere. In utraque exceptione advigilandum, ne quis hominem occidat sine malo, aut ordine perverso, id est, contrà amoris ordinem. Insuper in prima exceptione specialiter cavendum ne quis jus gladii perperam extendat ad casus, ad quos Deus ipse illud non extendit: nam aliàs non Dei, sed sua auctoritate hominem occidit, adeoque impingit in illud Divinæ Legis præceptum, *non occides*.

Quæ hic de præcepto, *non occides*, & binis exceptionibus dicimus, prorsus conformia sunt Sancto Augustino qui libro primo de civitate Dei cap. 21. loquitur in hunc modum: "quasdam enim exceptiones eadem ipsa Divina fecit auctoritas, ut liceat hominem occidi; sed his exceptis, quos Deus occidi jubet, sive data lege, sive ad personam pro tempore expressa jussione. (Non autem ipse occidit, qui ministerium debet jubenti: sicut adminiculum gladius est urenti. Et idè nequaquam contrà hoc præceptum fecerunt, quod dictum est, *non occides*, qui Deo auctore bella gesserunt, aut personam gerentes publicæ potestatis secundum ejus leges, hoc est, justissimæ rationis imperium, sceleratos morte punierunt. Et Abraham non solùm non est culpatus crudelitatis crimine, verùm etiam laudatus est nomine pietatis, quod voluit Filium nequaquam sceleratè, sed obedienter occidere. Et meritò quæritur, utrum pro jussu Dei sit habendum, quod Jephthæ filiam quæ Patri occurrit, occidit, cum se immolaturum Deo id vovisset, quod ei redeunti de prælio victori primitus occurrisset. Nec Samson aliter excusatur, quod seipsum cum hostibus ruinâ domus oppressit: nisi quia spiritus latenter id jussisset, qui per illum miracula faciebat.) His igitur exceptis, quos vel lex justa generaliter, vel ipse fons justitiæ Deus specialiter occidi jubet, quisquis hominem vel seipsum, vel quemlibet occiderit, homicidii crimine innectitur."

## CONCLUSIO SECUNDA.

*Ex anteriori Conclusionè consecrarium est, quod Propositio 30, 31, 32, & 33 inter condemnatas ab Innocentio XI. tradant falsam doctrinam de homicidio.*

**T**rigesima Propositio sic habet: *Fas est viro honorato occidere invasorem qui nititur calumniam inferre, si aliter hæc ignominia vitari nequit: Idem quoque dicendum, si quis impingat alapam, vel fustem percutiat, & post impactam alapam vel fustem fugiat.* Trigesima prima est hæc: *Regulariter occidere possum furem pro conservatione unius aurei.* Trigesima secunda ita sonat: *Non solum licitum est defendere defensione occisiva qua actu possidemus; sed etiam ad quæ jus inchoatum habemus, & quæ nos possessuros speramus.* Trigesima tertia dicit: *Lici-*

Licitum est tam *Heredi quàm Legatario contra injustè impedièntem ne vel hereditas adeatur, vel legata solvantur, se taliter defendere; sicut & jus habenti in Cathedrali, vel prabendam contra eorum possessionem injustè impedièntem.* Omnes istæ Propositiones secundùm anteriorem Conclusionem falsæ sunt, quia illic ostensum est illicitè occidi hominem, nisi occidatur secundùm exceptiones, quas Divina auctoritas, sive datâ lege generali, sive jussione speciali fecit ab indefinito ac universali hoc mandato, *non occides*: & nisi insuper excludatur finis malus, & caveatur ordo perversus. Quod primum horum, id est, exceptiones concernit, incumbit istarum propositionum Authoribus ostendere, ubi Divina auctoritas à generali mandato *non occides*, exceperit occisionem hominis nitentis calumniam inferre, impingentis alapam, vel fuste percutientis: & similiter, ubi eadem auctoritas exceperit occisionem hominis auferentis unum aureum. Par obligatio illis incumbit circa homicidia, quæ Propositio 32 & 33 velut licita defendunt. Jam verò certissimum est, quod neque lege generali, neque jussione speciali Deus ejusmodi exceptiones fecerit circa præceptum, *non occides*: Nullibi enim in Scriptura sacra, aut traditione Divinâ talium exceptionum fit mentio. Quod ad secundum attinet, omninò necessum est, hic intervenire defectum circa finem talium homicidiorum: etenim (ut nihil dicam de fine vanitatis, honoris mundani, avaritiæ, ambitionis, aut alterius finis mali) semper in his contingit inverteri ordinem amoris circa finem. Siquidem juxtâ primam dictarum propositionum vita hominis, quin & salus ejus æterna postponitur vanissimo isti honori, qui captatur ex occisione hominis nitentis inferre calumniam, impingentis alapam, &c. Juxtâ secundam, postponitur uni aureo: conformiter loquendum de tertiâ, & quarta. In his omnibus clarum est, amoris ordinem perverti; quandoquidem quis eligat vitam hominis, & salutem ejus æternam perdere, ut sibi servet antè enumerata, quæ omnium judicio vitâ hominis & potissimum salute ejus æternâ sunt incomparabiliter inferiora. Hæc vide latius deducta in Conclusionem 3. Thesum, quas defendimus die 27. Januarii 1684.

### CONCLUSIO TERTIA.

*Dictarum Propositionum doctrina manifestè repugnat præcipuis Evangelii regulis, & Spiritui Christi.*

Quotquot Christiani sumus, unâ cum Diabolo pompisque & operibus ejus, Mundi regulis & Spiritui ipsius renuntiavimus: & ex adverso Evangelium Christi, & spiritum ejus in ipsa Religionis Christianæ susceptione professi sumus. Jam verò non magis directè lumen tenebris, quàm Regule Evangelii propositionibus istis, & Spiritus Christi genio illarum opponitur. Ut ex hoc parallelo manifestum est.

#### EVANGELIUM.

*Si quis te percusserit in dextram maxillam, prabe illi & alteram.*  
Matth. 5.

#### PROPOSITIO XXX.

*Fas est viro honorato occidere invasorem, qui nititur calumniam inferre, si aliter hac ignominia vitari nequit: idem quoque dicendum, si quis impingat alapam, vel fuste percutiat, & post impactam alapam vel ictum fustis fugiat.*

*Diliges proximum tuum sicut te ipsum.* Quousque hæc dilectio se extendere debeat explicat S. Joan. Nos debemus pro fratribus animas ponere. 1. Joan. 3.

#### PROPOSITIO XXXI.

*Regulariter occidere possum furem pro conservatione unius aurei.*

Qui vult tecum iudicio contendere, & tunicam tollere, dimitte ei & pallium.

Non solum licitum est defendere defensione occisiva quæ actu possidemus; sed etiam ad quæ jus inchoatum habemus, & quæ nos possessuros speramus. Eiusdem Farinæ est 33.

Erunt fortè, qui dum corticem dictarum regularum aspiciunt, persuadere nobis volent, quod verba Christi de præbendâ alterâ maxillâ, & dimittendo pallio, non ut præceptum, sed solummodo veluti consilium accipienda sint: quibus respondendum, esse vera præcepta, quæ etsi non semper in facto, tamen in præparatione cordis servanda sint: nam præceptum generale quo proximum, & speciale quo Matr. 5. jubemur diligere inimicos, & benefacere his qui oderunt nos, obligant ut quilibet sic animò præparatus sit & compositus; ut dum in maxilla percutitur, aut tunica ejus tollitur, non solum nullam vindictam exspectet; sed ut etiam in alterâ maxillâ percuti paratus sit & pallium dimittere, si proximi tamquam infirmi salus, ita postulet. *Ista præcepta docet Augustinus Epist. 5. ad Marcellinum, magis ad præparationem cordis, quæ intus est pertinere, quam ad opus quod in aperto sit; ut teneatur in secreto animi patientia cum benevolentia, in manifesto autem id fiat, quod eis videtur prodesse posse, quibus bene velle debemus.*

Regulis Evangelii consonat Spiritus Christi, de quo 1. Pet. 2. *Cum malediceretur, non maledicebat; cum pateretur non comminabatur; tradebat autem iudicanti se injustè.* Hunc Spiritum à Christiano quolibet exigit ipse Christus, dum se *Viam* vocat; ut se sequamur, jubet; & specialiter à se disci vult quia *mitis est, & humilis corde.* Ex his perspicuum est; dictas Propositiones non minùs directè opponi Spiritui Christi, quàm illius Evangelii Regulis repugnare ostensum est. Atque hinc facillè conjicimus quæ causa sit, quod laxitatum Patroni in tot casuum, ut vocant, resolutionibus, nullius rei minùs quàm dictarum Regularum Evangelii, aut Spiritus Christi mentionem faciant. Quippè si aut Regulas illas protulissent, aut Spiritum Christi vel leviter insinuassent, velut ad Solem tenebræ, ità perniciosæ illæ & scandalosæ laxitates fugissent. Quid ergo, Evangelium non legerunt? Legisse credimus. Cur igitur Evangelio sententias suas non accommodarunt? Quia præformatâ opinione, ac sententiâ ex ratiunculis quibusdam (de quibus postea) ex sui instituti Casuistis & Scholasticis, ex hodierna prava vivendi consuetudine, & propensione naturæ corruptæ, aut ex aliis ejusmodi præjudiciis dictas Regulas Evangelii legerunt, non tam animo ex illis discendi, quid de occisione hominis sentire deberent, quàm intentione regulas ipsas ad præconceptas à se sententias torquendi. Nec tamen solent ejusmodi Authores Evangelii Regulas pro suis istis sententiis in scriptis, aut libris adferre, veriti proculdubio ne qui illa legunt, secùs quàm ipsi vel hinc sentire discerent. Similem ob rationem iidem illi laxitatum Patroni Scripturæ Sacræ ac SS. Patrum, & potissimum Augustini lectionem non multum suadere, imò dissuadere potius solent, donec tam adversus hos, quàm adversus illam invictos, vel pertinaces potius fecerit laxiorum quorundam Theologorum per annos aliquot continuata lectio. Quid verò in hisce laxitatibus cum aliqua specie dici potuisset de Spiritu Christi? Huic enim nîl commune cum occisione hominis *pro alapa, pro anreo, pro obtinenda Cathedra.* Et ut de Cathedra sic obtenta aliquid dicamus, quàm bellè qui ad hanc per homicidium pervenisset, docuisset antedictas Evangelii regulas! Quomodo ille à Spiritu Christi alienissimus, cum sancto Paulo prædicasset hunc Scripturæ locum: *qui spiritum Christi non habet hic non est ejus.* Quod hunc locum attinet, quàm lubenter mentionem ejus faciunt laxitatum impugnatores, tam illubenter illum audiunt earum Patroni; nec mirum; hic namque unus sufficit ad eliminandum, non solum antedictas laxitates de homicidio, sed etiam ad extirpandum laxitates cæteras in quavis aliâ materia Theologiæ Moralis. Omnis namque laxitas est secundum corruptionem naturæ; id

id est, faver concupiscentiis à peccato acceptis, & ad peccandum inclinantibus; ubi ex adverso spiritus Christi & ejus vivendi modus corruptioni sive concupiscentiis directissime contrariantur. Nam tormentis à se susceptis docuit Christus vincere concupiscentiam carnis, sicut suâ paupertate docuit qualiter superanda concupiscentia oculorum, & denique suâ humilitate modum tradidit debellandi superbiam vitæ. Tria hæc, scilicet tormenta, paupertatem, & humilitatem complexa fuit Crux, in cujus amplexu & bajulatione Christianos præiit Christus ut ejus exemplum sequantur quotidie. A Christo namque dictum est: *qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam quotidie, & sequatur me*; ut hinc intelligamus, quod in ferenda quotidie cruce ad imitationem Christi consistat præcipuum munus hominis Christiani; ita ut summa vitæ, ac proinde etiam doctrinæ Christianæ debeat esse Christus crucifixus: quibus conforme est illud sancti Pauli: *Non judicavi me scire aliquid inter vos nisi Iesum Christum, & hunc Crucifixum*. 1. Corint. 12. ergo præcipuum Paulinæ, id est, Christianæ Theologiæ principium est, Christus crucifixus sive Spiritus Christi oppositus cupiditatibus & corruptioni naturæ, adeoque directissime contrarius principiis Theologiæ laxioris, quorum unicus scopus est, favere cupiditatibus ac corruptioni naturæ, & eum in finem Dei præcepta inflectere, mutilare, ac tollere, donec in illis aut nihil, aut parum molestiæ superfit respectu naturæ corruptæ; uti clarum est in dictis quatuor Propositionibus de homicidio.

### CONCLUSIO QUARTA.

*Horrenda Corollaria deducuntur ex ante allegatis Propositionibus de Homicidio.*

**E**X quatuor ante assignatis Propositionibus de homicidio sequitur 1. Quod cuilibet homini competat potestas judicandi, condemnandi, & exequendi in causa sanguinis. Nemo enim in dictis Propositionibus excipitur, ut ei non liceat hominem occidere propter *calumniam* vel *alagam*, aut ob *invasionem bonorum*, ad quæ occisor jus habet, vel qua se possessurum sperat. Si cuilibet competat illa potestas, igitur etiam competit privato, quantumvis hebeti & injusto, adeoque ad id muneris ineptissimo, & quidem ob *alagam* quam nulla Respublica censuit extremo supplicio puniendam.

2. Inferitur, quod cuilibet habeat potestatem judicandi, condemnandi, & sententiam exequendi in causa sanguinis, etsi nullus extiterit accusator, & testis nullus præter solum illum vindicem. Nam Propositiones nil ejusmodi requirunt. Quid hoc corollario horribilius?

3. Sequitur, quod cuilibet detur potestas in casibus qui in Propositionibus exprimuntur, in propria sua causa judicandi, & adversam suam partem condemnandi ad mortem. Quis hic non videat manifestam impietatem?

4. Propositiones istæ inclinant, ut sententia mortis in Adversarium statuatur, & executioni mandetur illo tempore, quò egregius ille iudex ad hæc est maximè indispositus, id est, dum *calumniam* perpeffus, *alagâ* aut *fusse percussus* passione fervet & furit adversus eum quem censet interficiendum. Quid magis brutum?

5. Propositiones istæ Reo ad mortem condemnando nullam permittunt facultatem, ut super incompetencia Judicis, quantumvis inepti, iniqui, imo & inimici excipere valeat; nullus Reo conceditur defensionis modus, nam inauditus, inscius, & nil tale suspicatus, ad mortem condemnatur & re ipsa occiditur. Ubi Leges? Ubi Canones? Ubi Ratio?

6. Non conceditur morituro vel momentum temporis, ut de rebus suis, nequidem iis quæ animam, & aternitatem concernunt, disponere, imo vel cogitare possit. Quomodo hæc consistunt cum Fide Christiana?

7. Sanguinatio illo tribunali nemo eximitur, nihil adversus illum valet immunitas Ecclesiastica, nihil suprema potestas: quia in Propositionibus nulli omnino excipiuntur, modo *calumniam occisori inferre nitantur, aut bona qua ille possessurum sperat, invadant, vel occisorem* quo-

quovis modo *injuste impediunt*, ne occisor assequatur quod ei debetur. Pontifices proinde & Reges subjiciuntur isti tribunali : nonne dæmoniaca potius, quam humana censenda est hæc doctrina ?

8. Ut occidendus sis, sufficit quod iudicio occisoris istorum omnium aliquid facias, nam ipse per istas Propositiones solus constituitur Iudex, accusator, & testis : sufficit quoque ut occidaris, si ejus iudicio sit *calumnia* quam infers, si ille iudicet quod *calumniam nitari inferre* : patet ex trigesima. Sufficit pariter, ut occidaris, si eum *impedias* in casibus Propositionis 33. modo id illius iudicio facias *injustè*.

9. Si veræ sint istæ Propositiones, nulli magis quàm Magistratus, Consilarii, Provinciarum Gubernatores, & præ omnibus Reges occisionis periculo erunt expositi. Nam quò Regiæ functiones ad plures se extendunt, eò plures Iudices Regi constituuntur, quorum aliqui censeant à Rege sibi inferri *calumniam*, alii ab eo invadi bona, quæ se possessuros sperant, multi per Regem se impediri *injustè*, ne assequantur quod ejusmodi Iudices sibi deberi aestimant. Quibus admisis, ubi *asylum* reperient Reges, præsertim attento Corollario sequenti.

10. Cum Propositiones de Homicidio non restringant ad determinatam aliquam occisionis speciem, etiam comprehendunt eam quæ sit veneno, aut quovis alio proditorio modo: Nulla proinde hominum conditio vel status, nulla dignitas aut potentia tuta erit adversus scelestissimam illam doctrinam.

Si Propositiones illæ fuissent ad praxim deductæ, pauci reperirentur homines saltem sæculares qui hæctenus neminem occidissent : aliqui enim *alapa*, vel *fuste* fuerunt percussi, aliquibus occidendi occasionem dederit *ablatio* rei valentis saltem unum *aurum*, plures sunt inter ipsos, quibus vitâ durante aliquoties evenit, ut ipsorum iudicio quispiam ipsis *calumniam* intulerit, aut inferre *nisus* fuerit, juxtâ Propositionem 30. Denique vix ullus reperitur inter ipsos, cui aliquando non evenit, ut invaderentur ea, ad quæ suo iudicio jus inchoatum habebat, vel ut *injustè* suo iudicio impediretur ab Hæreditate adeunda, à Legatis percipiendis, aut ab alio jure expresso in Propositione 33.

Si praxis rursus fuerit illi doctrinæ conformis, miraberis reperiri hominem aliis conviventem qui sit vitæ longioris, potissimum inter illos, quorum functiones ad plures se extendunt, patet ex corollariis septimo & octavo & præcipuè ex nono.

## CONCLUSIO QUINTA.

*Adferuntur quæ in famosis Memoriali Hispanico & Specimine ab Adversariis allegata fuerunt ad avertendum condemnationem 65. Propositionum & specialiter illarum quæ de Homicidio agunt.*

**F**X hac ultima delegatione (Lovaniensium scilicet ad S. Sedem) exitum lamentabilem prout dantes verentur : primò quod soli Iansenista Roma bene audiant pro se & contra eorum Adversarios..... 2. Ego nemo dubitet, quin ritè examinatis Moralium libris multe ex eorum Propositionibus Censuram mereantur : quod hoc tamen ad petitionem istorum Doctorum Lovaniensium decernantur, novum erit gravissimum seminarium. Ita Adversarii in famoso Memoriali Hispanico parte secundâ §. 3. sufficiebat ergo illis ut Propositiones ante dictæ de Homicidio cum tot aliis scandalosis & perniciosis non condemnarentur, quod condemnatio petebatur & sollicitabatur à Doctoribus Lovaniensibus.

Speciales rationes allegant pro qualibet Propositione in sæpius citato Specimine, pro trigesima quidem, quæ est prima de Homicidio, adferunt sequentia : "primò. Hanc Propositionem totam his verbis nusquam invenerunt : priorem partem fere excerptè.

„ ex Leonardi Lessii lib. 2. de justitia & jure cap. 9. dub. 12. num. 77. poterant aliorum  
„ magno numero Authorum verbis doctrinam eandem representare S. Sedi. Notiores illi  
„ sunt peritis, quàm ut nominandi hic sint, simulque doctrina illorum Sedi Apostolicæ  
„ & Romanis Theologis tam nota, ut non fuerit operæ pretium de hac illos doceri à Lo-  
„ vaniensibus Doctoribus.

„ Porrò de Invasore, qui fustem vel alapam nititur impingere pronuntiat timidus per  
„ verbum videtur, requirens etiam, ut contumelia sit atrox, & post omnia addens hæc,  
„ verum hac sententia non est sequenda. Satis enim esse debet in Republica ut injuria verbales  
„ verbis repelli, & legitima vindicta comprimi & castigari possunt. Placuit Doctoribus hæc  
„ dissimulare exemplo Lud. Montalii Ep. 7. & Auctoris libri La Morale des Jesuites tom. 2.  
„ p. 310. 311.

„ Secundò posteriorem Propositionis partem unde acceperint, nobis non constat, à  
„ Lessio quidem accipere non potuerunt, potuissent à Martino Navarro in summa cap. 15.  
„ num. 4. Petro Navarra, aliisque rem ipsam docentibus: sed illi quidem in Belgio nihil  
„ turbarunt. Hæc verbis ipsius Speciminis pro Propositione 30, sive prima de Homicidio:  
„ nunc brevitate causâ verbis nostris exprimemus quæ ibidem allegantur pro 31. & 32.

Pro Propositione trigesima, quæ est secunda de Homicidio, Adversarii in Specimine  
allegant Antonium de Escobar & addunt, Molinam dicere, quod condemnare non auderet  
eum, qui occidit furem auferentem rem alienam valoris unius aurei resistente Domino  
aut custode illius.

Pro 32. id est, tertia de Homicidio, adferunt quod P. Franciscus Amicus referat appro-  
betque communiorem doctrinam Theologorum, qui censent licere occidere invasorem,  
non solum vitæ, sed etiam facultatum. Ex hac sententia communiore, inquirunt Adver-  
sarii in Specimine, inter alia corollaria infert Amicus licitum esse defendere etiam ad quæ  
jus inchoatum habemus. His verbis subjungit idem P. F. Amicus; quare licitum erit tam  
Hæredi, quàm Legatario contra injustè impediendum ne vel hereditas adeatur, vel legata solvan-  
tur se defendere, sicut & jus habenti in cathedram contra eorum possessionem injustè impediendum.

Hinc videre licet, quod P. Amicus non minus faverit quartæ propositioni de homicidio,  
quàm tertiæ; quidquid interim dicant Adversarii, qui in Specimine, de quarta propo-  
sitione istud nec omnino affirmant, nec omnino negant; scæus de tertiâ, quam aiunt evi-  
denter sequi ex communiore doctrina, ut ipsi vocant, dicente licitè occidi invasorem Fa-  
cultatum: cujus doctrinæ etfi ille communem ac communiorem dicat, falsitatem osten-  
dere conabimur conclusione septima. Interea ex allegatis per Adversarios pro quatuor  
Propositionibus de Homicidio

Collige primò, quinam de Theologia male meriti sint, an Lovanienses, qui ut alias  
scandalosas & perniciosas doctrinas omittam, horrendas illas de homicidio condemnari  
petierunt, & procurarunt; an vero eorum Adversarii, quarum alii eas invenerunt, aut  
probarunt in libris suis: alii in exhibitione Memorialis & Speciminis easdem comproba-  
runt, vel condemnationi subducere studuerunt.

Secundò collige, quod non Lessii, non Escobari, non Molinæ, non P. Amici, aut  
aliorum per Adversarios citatorum, nec etiam ipsorummet citantium autoritas: apud  
S. Sedem efficere potuerint, quo minus Propositiones de homicidio condemnarentur. Nec  
te proinde Lector moveat ejusmodi virorum autoritas ut credas fieri non posse, quod illi  
tibi proponant dogmata scandalosa & in praxi perniciofa.

Tertiò collige, etfi doctrinam aliquam cum Lessio teneant Doctores alii magno numero,  
prout de hac: Fās est viro honorato occidere invasorem, qui fustem, vel alapam nititur impin-  
gere, in Specimine asserunt Adversarii, quod non ideò sis in conscientia tutus. Quomodò  
ergò securum te faciet, quæ Adversariis est vera germanaque ac practica Probabilitas.

Quartò

Quartò collige; veluti puerilia terriculamenta sive nocturnos lemures esse explodendum ineptum aliquod argumentandi genus, repetitum toties in *Specimine*, & ad nauseam utique in Adversariorum Theſibus, reducitur autem ad hanc formam: *ita Montaltius, ita Morale des Iesuites, ergo malè, ergo hereticè*, quod consequens est non expriment, satis tamen insinuant. Ineptum, imo ineptissimum voco illud argumentandi genus. Quis enim sibi persuadeat libros illos tam infelicitè esse conscriptos, ut valeat hæc consequentia; hæc illudve continetur illis, ergo non subsistit: verùm etiam talia valent apud Adversarios nostros ad supplendum aliorum argumentorum defectum; oportuna insuper sunt, ut imperitis ac sibi devotis horrorem incutiant tot sibi adversantium dogmatum ac veritatum, quæ libris istis traduntur: quo nimirum fiat ut dum falsa creduntur, quæ habentur in istis libris, illicò vera putentur dogmata opposita; id est, Adversariorum nostrorum laxitates. Insignis profectò astutia, qua persuadere etiam poterunt, veras esse tot Propositiones ab Alexandro VII. & Innocentio XI. condemnatas, quia à *Montaltio*, & libro dicto *Morale des Iesuites* traduntur assertiones Propositionibus condemnatis directè oppositæ. Vel fortè etiam (quod non minus verosimilè nobis videtur) id ridiculo illo sophismate intendunt efficere, ut pudendam vel effrontibus scelestissimorum dogmatum infamiam in dictis libris omnium oculis exhibitam, saltem aliquatenus contegant, satis advertentes vix reperire esse aliquem qui ad tam impiarum sententiarum lectionem non horreat, earum Authores detestetur, & Authorum istorum assecclas & patronos minori in pretio, ne dicam contemptui habeat. Appage ergò puerilia illa terriculamenta: *Ita Montaltius, ita la Morale des Iesuites, ergo malè, ergo hereticè*. Nihil certè istis sophismatibus tribuendum censuit S. Sedes, dum non omisit condemnare primam Propositionem de Homicidio, neque tot alias, à quarum condemnatione Adversarii eam deterere voluerunt, quia ejusmodi propositiones accusaverant, impugnaverant, & exploserant *Montaltius*, & *la Morale des Iesuites*.

## CONCLUSIO SEXTA.

*Quibus rationibus antedicti Theologi, & præcipuè Lessius adducti fuerint, ut vita de Homicidio sentirent.*

“**Q**uia bona temporalia sunt ad vitam servandam necessaria, sicut licet vitam tueri, ita etiam hæc quæ vitæ sunt necessaria, non solum præcisè ut vivamus, sed etiam ut convenienter & honestè vivamus. Concessâ autem defensione, etiam concessa censetur occisio, sine qua sæpè non potest esse defensio. Ita *Lessius de Jure & Justitia* cap. 9. dub. 11. ut probet quod liceat occidere furem in defensionem suarum facultatum, si illæ sint magni momenti. Et pergit dubio 12. *Fas etiam est viro honorato occidere invasorem, qui fustem, vel aliam nititur impingere, ut ignominiam inferat, si aliter hac ignominia vitari nequit. Rationem allegat: quia hic conatur auferre honorem qui merito pluris apud homines æstimatur, quam damnum multarum pecuniarum, ergo si potest occidere, ne damnum pecuniarum accipiant, potest etiam, ne hanc ignominiam cogatur sustinere. Alia quædam homicidia istis deteriora ibidem sentit Lessius esse solum speculativè probabilia, quæ si Escobario credimus, dicenti: minimè percipio aliquam propositionem esse speculativè probabilem & in praxi amplexari non posse, hoc ipso etiam sunt practicè licita, cum, ut idem ait, probabilitas practica à speculativa oriatur probabilitate, ab eaque differat tamquam effectus à sua causa.*

Simili viâ P. F. Amicus ex licita, ut vult, occisione invasoris non solum vitæ, sed etiam facultatum, concludit licere Clerico vel Religioso calumniatorem gravia crimina de se, vel

de sua Religione spargere minantem, occidere, quando alius modus defendendi non suppetit, ut suppetere non videtur, si calumniator sit paratus vel ipsi Religioso vel ejus Religioni publicè, & coram gravissimis viris prædicta impingere, nisi occidatur. Hæc est 17. inter condemnatas ab Alexandro VII. Ex eodem antecedente, licitâ scilicet occisione invasoris vitæ, item facultatum, rectè, ut defendunt Adversarii in Specimine, infert Amicus: Non solum licitum est defendere qua aëlu possidemus, sed etiam ad qua jus inchoatum habemus, & que nos possessuros speramus. Defensionem, ut etiam admittunt Adversarii, intelligit occisivam, quam proinde malè negant intelligi, dum verbis ante dictis immediatè subjungit: Quare licitum est tam Hæredi, quàm Legatario contrâ injustè impediens, ne vel hæreditas adeatur, vel Legata solvantur, se defendere, sicut & jus habenti in Cathedram & præbendam contrâ eorum possessionem injustè impediens.

Veræ-ne, an falsæ sint hæ consequentiæ: si liceat occidere invasorem vitæ, licet etiam facultatum; si facultatum, licet & honoris, adeoque fas est viro honorato, &c. Item si facultatum, ergò est licitum Religioso, vel Clerico, &c. Et denique si facultatum, ergo etiam eorum, ad qua jus inchoatum habemus. Veræ-ne inquam, an falsæ sint illæ consequentiæ, hæcenus non inquirimus. Demus ergo Lessio hæc esse veram consequentiam, si liceat occidere invasorem facultatum, ergo fas est viro honorato, &c. Demus pariter P. Amico quod vera sit hæc consequentia, si facultatum, ergo est licitum Religioso vel Clerico, &c. Demus similiter Auctoribus Speciminis etiam hæc esse veram: si facultatum, ergo etiam eorum ad qua jus &c. Et omnibus illis demus, quod vera sit hæc consequentia: si licet occidere invasorem vitæ, licet facultatum. Verum nunc illi, velint nolint, coguntur nobis vicissim dare; quod bene sequatur ab opposito consequentis ad oppositum antecedentis: falsum est 1. quod fas sit viro honorato occidere invasorem, qui fustem, vel alapam nititur impingere: falsum est 2. quod licitum sit Religioso vel Clerico calumniatorem gravia crimina de se vel de sua Religione spargere minantem occidere, quando, &c. Falsum est 3. quod liceat defendere defensione occisivâ, ad qua jus inchoatum habemus: ergo etiam falsum est illud antecedens, ex quo quodlibet illorum infertur scilicet hoc: Licitum est occidere invasorem facultatum.

Similiter ab opposito consequentis sequitur ad oppositum antecedentis: si falsum est quod liceat occidere invasorem facultatum, falsum est, quod liceat occidere invasorem vitæ: adeoque argumento, ut aiunt, ad hominem adversus Lessium, Amicum, Authores Speciminis, & tam multos alios, qui etiam ejusmodi consequentias fecerunt, jam probatum est, quod illicitum sit, non solum occidere invasorem facultatum, sed etiam illicitum sit occidere invasorem vitæ. Verum ut hoc omnibus, & absolutè probetur alio argumentorum genere, quàm quæ ad hominem vocantur, probandum est.

## CONCLUSIO SEPTIMA.

*Offenditur brevissimè quod non liceat occidere Invasorem facultatum, & fusè quod non liceat occidere Invasorem vitæ.*

§. I.

*Occisio Invasoris facultatum necessariò invertit ordinem amoris & adversatur præcepto dilectionis proximi.*

**I**N Thesibus die 27. Januarii hoc anno defensis, Conclusionem tertiâ, probavimus quod virtus sit Ordo amoris & quod vitium sit inordinatio amoris. Ubi etiam assignavimus aliquas regulas ad ordinem amoris spectantes, inter quas secunda erat: Creaturæ rationales præ irrationalibus sunt diligendæ, & vita corporalis præ rebus inferioribus. Porro huic regulæ

B

gulæ



gulæ tam manifestè repugnat occiso hominis pro rebus temporalibus, quàm clarum est res temporales pro quibus conservandis proximi vita perditur esse hâc inferiores. Clarum etiam est res istas temporales esse inferiores spe salutis aternæ proximi, quæ tunc unâ cum vita temporali perditur. Quam procul ille occisor abest à spiritu Christi, non solum res temporales, sed etiam vitam ipsam dantis pro salute nostra. Quàm bellè præterea ille qui pro re temporali occidit proximum diligit illum sicut seipsum. Denique quomodo implet illud, *Et nos debemus pro fratribus animas ponere.*

§. 2.

*Ratione ex parte principii occisionis verbis Sancti Augustini ante expressâ ostenditur illicitè occidi Invasorem Vita.*

**C**onclusionem 1. harum Thesium, primùm nostris, deinde S. Augustini verbis diximus, quod his exceptis, quos Deus occidi jubet, sive data lege, sive ad personam pro tempore expressa jussione, quisquis hominem vel se ipsum, vel quemlibet occiderit, homicidii crimine innectatur. Ratio hujus assertionis, ibidem allegata, est: quod Deus jus vitæ & necis ita sibi soli reservaverit, mandando ante legem: *quicumque effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius.* Gen. 9. & in ipsa Lege: *non occides*, ut hominem ab homine occidi noluerit, nisi secundum exceptiones, ipsius Dei auctoritate factas; quales lib. 1. de Civit. cap. 21. S. Augustinus agnoscit in ipsis regulis à se positis duas, & in exemplorum speciebus tres: nam de his ait: "nequaquam contra hoc præceptum fecerunt, quo dictum est, *non occides*, qui Deo auctore bella gesserunt (en primam exempli speciem) aut personam gerentes publicæ potestatis secundum ejus leges, hoc est, justissimæ rationis imperium, sceleratos morte punierunt. (Hæc est secunda exempli species) Et Abraham non solum non est culpatus crudelitatis crimine, verum etiam laudatus est nomine pietatis, quod voluit filium nequaquam scelerate, sed obedienter occidere." (& illa est tertia species exempli.) Quisquis proinde censet licite occidi invasorem vitæ, debet similiter ostendere, quod Deus ipse lege generali, vel jussione speciali ab hoc suo præcepto, *non occides*, exceperit occisorem invasoris vitæ; sed illa exceptio hæctenus ostensa non fuit, imo, ut credimus, ostendi numquam poterit.

§. 3.

*Ratione ex parte finis ipsius occisionis verbis S. Augustini ante expressâ, ostenditur, illicitè occidi Invasorem vita.*

**D**um præcepta patientiæ ex Evangelio allegavimus. Conclusionem secundâ, Augustini rursus verbis diximus: *Ista præcepta magis ad preparationem cordis, quæ intus est, pertinere, quàm ad opus, quod in aperto fit; ut teneatur in secreto animi patientia cum benevolentia, in manifesto autem id fiat, quod eis videtur prodesse posse, quibus bene velle debemus.* Epist. 5. ad Marcellinum. Sed quis dicet occisorem invasoris vitæ in manifesto id facere, quod illi, sive salutem ejus aternæ proficit.

§. 4.

*Ipsâ auctoritate S. Augustini probatur illicitè occidi Invasorem vita.*

**S** Augustini Adversarii, contra quos Vindicias Augustinianas conscripsit Ex: P. Henricus Noris, S. Patri velut errorem objiciunt, eum dixisse: *Haud licitum esse, occidere grassatorem, qui nobis velit vitam eripere.* Ergò ipsimet fatentibus Augustinus censuit, id esse illicitum.

illicitum. Et revera, ita censuisse Augustinum, probatur imprimis ex lib. 1. de lib. arb. cap. 5. ubi dicit, eos non esse à peccato liberos, qui pro his rebus, quas contemni oportet, humana cæde polluti sunt. Inter res illas comprehendit etiam vitam corporis, & generaliter omnia, quæ inviti possumus perdere. Verba Augustini sunt: *Quomodo enim apud eam (divinam Providentiam) sunt isti à peccato liberi, qui pro his rebus, quas contemni oportet, humana cæde polluti sunt.* Hæc Augustinus ante Episcopatum, qui jam Episcopus in eadem sententia stetit, quam etiam militaribus Præfectis persuasit: nam Publicolæ viro illustri & militari, à quo super simili quæstione consultus fuerat: respondit Epist. 154. *De occidendis hominibus, ne ab aliis quisquam occidatur, non mihi placet consilium, nisi forte sit miles, aut publicâ functione teneatur, ut nec pro se hoc faciat, sed pro aliis, vel pro civitate, ubi etiam ipse est, accepta legitima potestate, si ejus congruit persona.*

### §. 5.

*Authoritate Sanctorum Cypriani & Ambrosii idem probatur.*

**S**anctus Cyprianus Epist. 56. & 57. docet quod *occidere innocentibus nec nocentem licet.* Neque vero mirum cuiquam videri debet, in annotationibus ad Epist. 57. Cyprianum in ea fuisse sententia ut potius fugiendum esse judicaret Christianis, quam ut se tuerentur contra Principis persecutoris impetum, quum apud illos nullus esset legitimus Magistratus, cui solus permissus est gladius. Hactenus Pamelius. Similia habet Rigaltius in notis ad Epist. 56. ad illa verba Cypriani, *quibus (Christianis) occidere non licet.* Arma Christianorum, inquit, preces & lachrymæ, quandoque fuga: sæpissimè autem fortis patientiæ constantia pro nomine Christi. Tertullianus in Apolog. apud istam disciplinam magis occidi licet quam occidere. Christus exarmato Petro, omnem Christianum discinxit. Hæc Rigaltius.

S. Cypriano conformis est Ambrosius lib. 3. Officiorum cap. 4. *Quærent aliqui, inquit, si sapiens in naufragio positus insipienti naufrago tabulam extorquere possit, utrum debeat. Mihi quidem, etsi probabilius communi videatur usui sapientem de naufragio, quam insipientem evadere, tamen non videtur quod vir Christianus & justus & sapiens quærere sibi vitam alienâ morte debeat; utpotè qui etiamsi in latronem armatum incidat, ferientem referire non possit; Ne dum salutem defendit, pietatem contamineat. De quo in Evangelii libris, aperta & evidens sententia est; *reconde gladium tuum; omnis enim qui gladio percusserit, gladio ferietur.* Si ad hæc verba S. Ambrosii, qui, Christianus, etiamsi in latronem armatum incidat, respondeas, agi de reperiiente potius ex vindicta, quam ex defensionis necessitate; non subsistit responsum: quia S. Ambrosius subjungit, *ne dum salutem defendit, pietatem contamineat;* agit proinde de reperiiente ex defensionis necessitate.*

Plures alii Patres pro eadem sententia, quod non liceat occidere invasorem vitæ, ab aliis citantur, quos compendii causa in hisce Thesibus omittimus. Credimus equidem non abs re futurum si de mente S. Thomæ, quem alii pro hac sententia, alii contra eam stare putant, hic inquiramus.

## CONCLUSIO OCTAVA.

*Quid S. Thomas senserit de occisione Invasoris vitæ.*

**P**ostquam S. Thomas 2. 2. q. 64. art. 7. quæsierat utrum liceat alicui occidere aliquem se defendendo; jamque ad propositam quæstionem responderat verbis illis, quæ nos pro sententiâ nostrâ, & alii pro oppositâ interpretanda censent, ultra non inquit

S. Doctor, an liceat occidere inuasorem facultatum, honoris, &c., quæ quæstiones à S. Thoma in movendis quæstionibus admodò copioso, non videntur potuisse omitti, si post responsum ad quæsitum de occisione inuasoris vitæ mansisset adhuc locus quæstionibus de occisione inuasoris facultatum, honoris, &c. Jam vero adhuc fuisse relictus locus illis quæstionibus, si S. Thomas docuisset licitè occidi inuasorem vitæ. Demus enim quod liceat occidere inuasorem vitæ: numquid tum examinandum adhuc erit, an occidere liceat inuasorem facultatum aut honoris? Secus si S. Thomas prout mox ostendere conabimur, docuerit illicitè occidi inuasorem vitæ: hoc enim dato, prorsus superfluum est querere, an liceat occidere inuasorem facultatum, item honoris.

His præmissis, examinandum responsum S. Thomæ, qui ad quæstionem propositam in Corpore articuli responderet his verbis: "Nihil prohibet unius actûs esse duos effectus, quorum alter solum sit cum intentione, alius præter intentionem, morales autem actûs, recipiunt speciem, secundum id quod intenditur, non autem ab eo quod est præter intentionem; cum sit per accidens, ut ex suprâ dictis patet. Ex actu ergo alicujus seipsum defendentis duplex effectus sequi potest, unus quidem conservatio propriæ vitæ, alius occisio inuasoris: alius ergo ejusmodi ex hoc quod intenditur conservatio propriæ vitæ non habet rationem illiciti cum hoc sit cuilibet naturale, quod conservet se in esse quantum potest.... Sed quia occidere hominem non licet nisi publicâ autoritate propter bonum commune, illicitum est quod homo intendat occidere hominem ut se ipsum defendat, nisi ei qui habet publicam autoritatem.."

Ex quibus verbis conficitur, primò quod qui hominem, dum propriam vitam defendit, casu occidit, nihil aliud intendens quàm conservare propriam vitam, non peccet (si tamen aliquis ad defendendam propriam vitam utatur majori violentia quàm oporteat, erit illicitum, inquit S. Thomas) quia occisio hominis in illis circumstantiis non est intenta, non intentione formali, hoc enim à S. Thomâ supponitur; non interpretativa, quia S. Thomas supponit, quod non utatur majori violentia quàm oporteat, sed quod moderatè violentiam repellat, verba sunt ejusdem in corpore articuli. Censet itaque S. Thomas, quod occisio inuasoris vitæ sit licita, si sit præter intentionem non solum formalem, sed etiam interpretativam.

Secundò conficitur, quod occisio inuasoris vitæ illicita sit, si illa occisio sit intenta (intellige rursus de intentione formali vel interpretativa) nisi occidens habeat publicam autoritatem. Illicitum est, inquit S. Thomas, ut homo intendat occidere hominem ut se ipsum defendat, nisi ei qui habet publicam autoritatem, qui intendens hominem occidere ad sui defensionem, refert hoc ad publicum bonum.

Ex quibus verbis habemus, homini privato semper esse illicitum quod intendat occidere hominem, etiam ut se ipsum defendat. Ratio est: quia juxta S. Thomam occidere hominem non licet nisi publicâ autoritate, ut habet in verbis ante allegatis. Vel ut quæstione sequenti art. 1. ad 2. Privare aliquem vitâ, in nullo casu pertinet ad aliquem, nisi ad publicam potestatem; adeoque qui intendit occidere hominem ut se ipsum defendat, si intendens sit homo privatus, rem sibi prohibitam ac proinde illicitam intendit. Et hæc est unica ratio, quam S. Thomas allegat, cur ut quis se ipsum defendat, non liceat intendere occisionem inuasoris: sic enim ait: quia occidere hominem non licet nisi publicâ autoritate propter bonum commune, illicitum est quod homo intendat occidere hominem, ut se ipsum defendat, nisi ei qui habet publicam autoritatem. Iisdem verbis docemur, quod habenti publicam autoritatem liceat intendere occisionem hominis, non quidem ut finem, scilicet ultimo intentum, sed ut medium: debet enim, ut ex verbis patet, hoc referre ad publicum bonum. Ex quibus manifestum est S. Thomæ improbari, ut homo privatus occisionem inuasoris etiam ut medium intendat. Non licet ergo homini privato aggressoris jugulum cultro petere, vel bom-

bombardam in cor ejus dirigere, eumque hac ratione occidere, ne occidatur ipse: nam hoc facere, scilicet voluntariè, sive humano modo, est illud ipsum saltem tanquam medium velle ac intendere, id est, velle ac intendere alterum occidere, ne occidatur ipse.

Quam clara & palpabilis est interpretatio nostra de non intendenda occisione inuasoris, tam obscura & imperceptibilis est aliorum volentium nobis persuadere, quod qui ex proposito jugulum inuasoris cultro petit, aut bombardam in cor ejus dirigit, non ideo intendat occisionem sive mortem inuasoris. Aliqui illorum dicunt quod non intendat mortem inuasoris, scilicet absolute: alii quod ille actus non sit per se illativus mortis simpliciter, sed ex suppositione scilicet quod inuasor eo loco præsens sit: alii quod non directè & per se, sive datâ operâ, sed ad summum indirectè ac veluti per accidens mortem aggressoris intendat: quæ omnia sive rem ipsam spectemus, sive verba S. Thomæ, sive praxim consideremus, sunt imperceptibilia: quomodo enim qui cultro jugulum aggressoris petit, ne ab ipso si vivus maneat occidatur, dicitur non intendere absolute ejus occisionem? Quomodo subsistit quod de loco dicitur, cum idcirco ad illum locum inuasus dirigat cultrum, quia illic est jugulum aggressoris? Quomodo verum est quod ultimò dicitur, cum inuasus directè per se & data opera aggressori guttur abscindat, ne ab illo ipse occidatur? Præterea quomodo omnia illa sunt ad mentem S. Thomæ, cum hic, quod patet ex enuntiatione causali, de qua ante egimus, dicat ideo esse illicitum quòd homo intendat occidere hominem ut se ipsum defendat; *Quia occidere hominem non licet, nisi publica auctoritate*. Denique cum aliorum limitationes, additiones, &c. ad verba S. Thomæ, nequidem à viris doctis, rei isti studentibus, & in tranquillitate constitutis ita percipi possint, ut quod istis significatur distinguant à proprie dicta intentione occisionis, quomodo poterunt homines imperiti in periculo mortis toti turbati, ipso opere illa secernere ab intentione occisionis: debent tamen, si istis Theologis credimus, quandoquidem, his fatentibus non liceat intendere occisionem inuasoris proprie loquendo, sed tantum liceant illa, quæ nec ipsi, nec alii Theologi intelligunt. Similiter non intelligitur eorum explicatio, dum verba S. Augustini ex lib. 1. de lib. arbit. & ex epist. ad Publicolam, quæ Concl. 7. §. 4. allegavimus iterum interpretantur, ut S. Doctor solum velit esse illicitum intendere mortem inuasoris, non vero juxta eum esse illicitum petere ex. gr. cultro jugulum inuasoris.

Nunc respondendum objectionibus ex S. Thoma desumptis. S. Thomas, inquit, non potest intelligi de occisione casuali, prout nos videmur intelligere; quia dicit, *non esse necessarium ad salutem ut homo actum moderate tutela prætermittat ad evitandam occisionem alterius*. Resp. esse quæstionem de nomine, quid intelligatur per occisionem casualem: si intelligatur quæ sit præter intentionem, ut loquitur S. Thomas, id est, quæ nec formaliter nec interpretativè sit intenta, dicimus S. Thomam interpretandum esse de occisione casuali; si vero ad occisionem casualem requiras ut nullum omninò occisionis periculum prævisum fuerit, dicimus S. Thomam non esse intelligendum de tali occisione casuali, quia non est necessarium ad salutem, ut inuasus quovis casu omittat avertere ictus aggressoris, dum ex illa sua defensione prævideat aliquod periculum, ne aggressor incurrat v. gr. in gladium quo ictus avertuntur.

Secundò objiciunt S. Thomam prædicto articulo in responsione ad 3. docere; quod Clericus, etiamsi se defendendo interficiat aliquem, sit irregularis, quamvis non peccet, nec intendat interficere: sed hoc non potest intelligi de occisione merè casuali, cum Sanctus Doctor in responsione ad 3. sequenti articulo insinuet non imponi pœnam his qui casualiter occidunt, nisi dent operam rei illicitæ, vel non adhibeant diligentiam debitam: ergò inquit S. Thomas non est intelligendus de occisione merè casuali. Respondeo, nos jam ante dixisse quo sensu occisio de qua agit S. Thomas sit, & quo sensu non sit casualis, admittimus ergo in casu de quo agit Sanctus Thomas posse non peccari, & tamen posse incurri.

curri irregularitatem : nec enim sequitur quempiam incurrere reatum aut pœnam homicidii propriè dictam , quia irregularitatem incurrit ; cum irregularitas , ut ibidem S. Thomas in iudice ostendit , incurratur etiam sine reatu culpæ , adeoque & sine reatu pœnæ. Demus ergo juxtà S. Thomam propter homicidium casuale non incurri reatum culpæ aut pœnæ , si non detur opera rei illicitæ , nec omittatur diligentia debita : non idè sequitur non incurri irregularitatem , cum irregularitas nec culpæ nec pœnæ reatum præsupponat.

## CONCLUSIO NONA.

*Respondetur objectionibus , quæ opponi solent doctrinæ superiùs traditæ de non occidendo Invasore vitæ.*

### §. I.

*Respondetur ad objectionem ex Scriptura Sacra desumi solitam.*

**M**ulti firmiter sibi persuadent , Exodi 22. lege divinâ statui , quod licita sit occisio invasoris vitæ , eo scilicet sensu , quo nos dicimus esse illicitam. Verba legis sunt : *Si effringens fur domum sive suffodiens fuerit inventus , & accepto vulnere mortuus fuerit , percussor non erit reus sanguinis. Quod si orto sole hoc fecerit , homicidium perpetravit & ipse morietur.* Ergo , inquit , licitum erat occidere furem nocturnum , quia discerni non poterat an solummodo ad furandum , an vero etiam ad occidendum venisset. Quare multo magis licebit eum occidere , dum certo scitur venisse ad occidendum , imo cernitur jam velle invasum occidere. Obiectio roboratur verbis Augustini , qui quæst. 84. super Exod. verbis Legis ante citatis subjungit hæc : " intelligitur ergo tunc non pertinere ad homicidium , si fur nocturnus occiditur : si autem diurnus , pertinere. Hoc est enim quod ait : *si orietur super eum sol.* Poterat quippe discerni quod ad furandum , non ad occidendum venisset , & idè non deberet occidi. Ad majorem confirmationem addunt dictam sententiam S. Augustini relatam esse in Jus Canonicum Cap. *Si perfodiens* , de homicidio voluntario. Respondetur ad objectionem imprimis quatenus autoritate Scripturæ innititur , solummodo agi de pœnis quas iudices fori externi debent infligere pro hoc illoye facto ; præcedit namque immediatè hæc lex : *Si quis furatus fuerit ovem vel bovem , & occiderit vel vendiderit , quinque boves pro uno bove restituet , & quatuor oves pro una* , quibus immediatè subjungitur : *si effringens fur &c.* adeoque , sicut illa noscuntur solum pertinere ad forum externum , quibus iudici mandatur qualem pœnam debeat infligere furanti ovem vel bovem , ita & hoc , ut nimirum sciat , quæ furis occisio extremo supplicio sit punienda , & quæ non. Patet hoc ipsum ex verbis ipsius legis quæ obijcitur ; dicit enim : *quod si orto sole hoc fecerit , homicidium perpetravit & ipse morietur.* Illud namque , *ipse morietur* , id est , morte afficiendus est , certissimè spectat ad iudicem fori externi.

Secundò responderetur ad objectionem quatenus in Augustino fundatur , clarum esse ex dictis quod Augustinus , si legem aliter intellexisset , non rectè sed malè fuisset interpretatus. Verùm non malè esse interpretatum , satis constat ex verbis quæ apud Augustinum sequuntur proximè post allegata : " Hoc & in Legibus antiquis sæcularibus , inquit , quibus tamè ista est antiquior , invenitur : impunè occidi nocturnum furem quoquo modo , diurnum autem , si se cum telo defenderit , jam enim plus est , quàm fur. , Ubi nota per verba illa , *impunè occidi* satis significari quod Augustinus solum examinet , quodnam homicidium à iudice fori externi sit puniendum , & quodnam debeat manere impunè : neque enim sequitur : iustæ sunt leges decernentes non puniri occisorem invasoris vitæ , ergo iusta sive inculpabilis est occisio invasoris vitæ. Quare ad hanc objectionem Eyodii , non ergo lex iusta est , quæ dat potestatem viatori , ne latronem , ne ab eo ipse occidatur , occidat ?

ref-

respondet Aug. "Legem video esse munitam contra hujusmodi accusationem, quæ in eo populo quem regit, minoribus malefactis, ne majora committerentur, dedit licentiam: multò est enim mitius, eum qui alienæ vitæ insidiatur, quàm eum qui suam tuetur occidi.

Tertiò ad eandem objectionem quatenus per Jus Canonicum confirmatur, resp. 1. Cap. *Si perfodiens*, quoad ea quæ vel in speciem contra nos faciunt, ad verbum desumptum esse ex Augustino ex antecitata quæstione 84. super Exodum. Intelligendum proinde est Capitulum, quemadmodum Augustinus, Augustinus verò quemadmodum ipsa Lex, id est, ut decernatur, quodnam homicidium extremo supplicio puniendum sit, & quodnam non. Præterea clarum est quod neque Cap. neque Augustinus intelligi possint eo sensu, ut significetur sine culpa *occidi nocturnum furem quoquo modo*: quia nemo negare potest, etiam qui de occisione inuasoris vitæ aliter quàm nos sentit, quin non ex uno capite frequentissimè contingat, ut cum evidente culpa nocturnus fur occidatur; ut ex. gr. si id fiat utendo majori violentia quam oporteat. Non subsistit proinde quod aliqui dicunt Jus Canonicum non agere de solo foro externo, semper enim quodam sensu agit de solo foro externo, dum leges præscribit Judicibus solius fori externi. Dixi *quodam sensu*, quia illæ Leges in conscientia obligant illos quibus dantur, id est, iudices fori externi, ex. gr. ut graviora quædam & Ecclesiæ nocentiora his illisve pœnis puniant, item ut minus gravia minusque nocentia, etsi etiam sint mortalia, talibus pœnis non puniant. Porro si hinc inferre velis: ergo illa minora minusque nocentia non faciunt quempiam reum in conscientia, ineptissimam inferes consequentiam: quis enim dubitat quin Iudices Ecclesiastici, perinde ac Sæculares, debeant quædam relinquere impunita? Ineptiam consequentiæ magis videbis, si cogites legem Exodi 22. latam esse de infligenda pœna extremi supplicii, quam etsi Deus voluerit infligi pro occisione inuasoris magis culpabili, non debuit tamen velle pro minus culpabili; sicuti pœnam mortis voluit infligi pro mulieris adulterio, non tamen pro simplici fornicatione.

§. 2.

*Respublica non dedit cuilibet auctoritatem (quod quidam volunt) occidendi vitæ inuasorem.*

S. August. Epist. 154. ad Publicolam in verbis ante allegatis solos milites aut publicam functionem tenentes dicit accepisse potestatem occidendi, eamque personæ suæ congruam. S. Thomas idem satis manifestè indicat in articulo quem ante examinavimus. *Illicitum est, inquit, ut homo intendat occidere hominem ut se ipsum defendat, nisi ei qui habet publicam auctoritatem.* adeoque non omnis homo habet publicam auctoritatem dum vitæ ejus invaditur, quod quidam fingunt ad excusandum occisorem inuasoris.

Negare non possumus, quin Respublica subinde cuilibet (quod tamen non illicò extendendum ad Clericum aut Religiosum, prout infamem suam sententiam Conclusionem 6. relata extendit F. Amicus) faciat potestatem occidendi latronem quempiam sceleratorem, ac magis famosum: verùm hoc non fit, nisi ex maxima Reipublicæ necessitate, non nisi causâ bene examinâtâ & cognitâ; nec nisi latâ in talem latronem sententiâ mortis. Nihil verò huic simile invenitur respectu cujuslibet inuasoris vitæ, nam ut omittam, hic non tam intercedere necessitatem Reipublicæ quam particularis personæ: nullum intervenit examen circa factum, nulla hic fertur contra determinatam personam mortis sententia. Et idè dico quod Respublica talem potestatem non possit istâ generalitate dare, ut quilibet Reipublicæ auctoritate vitæ suæ inuasorem occidere valeat: quia Respublica dare non potest quod non habet: non habet quod à Deo non accepit: sed à non accepit potestatem ut per quemlibet suum subditum sine prævio examine facti, sine accusatore, sine teste, in summo fervore passionis occidat inuasorem vitæ, id est, illum qui ipsi occifuro est summè insensus: etenim cum Respublica non acceperit potestatem occidendi innocentem,

nec

nec potestatem accipit ut det potestatem in illis circumstantiis occidendi, in quibus necessum foret occidi plurimos innocentes, aut saltem plurimos minoris quam extremi supplicii reos; quales deberent autoritate Reipublicae occidi maximo numero, si daretur jam descripta potestas, cum fieri non posset quin invari maximo numero excederent moderamen inculpatae tutelae; atque ita occiderent non occidendos, & praecipue non occidendos inopinatae & sine ulla praeparatione ad mortem.

§. 3.

*Respondetur huic objectioni: secundum jura vim vi repellere licet cum moderamine inculpatae tutelae, ergo licet occidere invasorem vitae.*

**N**on negamus quin vim vi repellere liceat, etiam dum vita invaditur; verum vim vi repellere non aliud est, quam violentiam violentiam avertere, prout fit dum ex.gr. baculo aut gladio avertis ictus gladii, quo aggressor cor tuum perfodere nititur: hoc enim pacto vim repellis, quia avertis sive depellis violentos aggressoris ictus, quibus vitam tuam impetit; vi repellis quia violentiam uteris. Si vero vicissim coneris cor ejus perfodere, jam vim quae tibi infertur proprie loquendo non repellis: quia non mere defensiva te habes, sed aggressiva, quod jura non concedunt, &, ut ante ostendimus, concedere non possunt, nec ullibi ex Scriptura S. aut Traditione probatur, quod Deus concesserit. Quod jura attinet, Canones antiqui pro ejusmodi homicidiis poenitentias satis magnas imposuerunt. Vide cap. 295. ex lib. 7. Capitularium Caroli Magni & Ludovici Imperatorum, quae collecta sunt ex diversis Synodis ubi sic habetur: *Si quis quiete gradiens per viam, aut si etiam in domo sua fuerit, aut in platea civitatis, aut villa subito ab alio superventus, aut liti commotione volens se defendere, non habens contra illum antea odium, interfecerit hominem, septem annis secundum Canonicam institutionem poeniteat, tres vero communionem privetur, quatuor autem in communionem orationum & oblationum susceptus, in Sacerdotis pendeat arbitrio, utrum dignus sit Corpus Christi accipere, aut usque ad plenitudinem poenitentiae ab eo separari. Abstinencia ciborum in providentia Sacerdotis erit, secundum possibilitatem poenitentis & devotionis afflictum & lachrymarum.* Negamus ergo, quod modo antedicto liceat cor invasoris impetere, etsi licitum dicamus vim vi, prout jam explicatum, repellere, modo tamen servetur moderamen inculpatae tutelae: nam, ut ait S. Thomas, *si aliquis ad defendendam propriam vitam utatur majori violentia quam oportet, erit illicitum, etsi etiam mere defensiva se habeat invasus.*

§. 4.

*Respondetur ad Capit. Significasti 2. de Homicidio & quadam similia.*

**I**N Cap. significasti 2. de homicidio & quibusdam aliis dicitur: *vim vi repellere, omnes leges & omnia jura permittere.* Verum ex dictis patet, nihil hinc confici contra sententiam de non occidendo invasore vitae. Et quod Cap. significasti attinet, illud potius favet nobis, quatenus statuit, *si Sacerdos ab homine sacrilego percussus, mox eum cum ligone in capite percussit, non videri a poena Homicidii penitus excusari. Tum ratione instrumenti, cum quo ipse percussit, quod cum grave sit, non solet levem plagam inferre: tum ratione partis, in qua fuit ille percussus, in qua de modico ictu quis lethaliter solet ladi.* Ecce Pontifex decernit Sacerdotem illum excessisse moderamen inculpatae tutelae, propterea quod instrumento occisivo partem vitalem, caput scilicet furis, impetierit. Ex aliis Decretalibus, quae objici solent: ut est Cap. *interfecisti* de Homicidio. Item cap. *si vero* 1. de sent. excommunicat. Item *Clement. unica* de homicidio, nihil aliud habetur, quam quod homicidia pro defensione vitae in quibusdam personis non debeant puniri, quod non sint casus reservati, aut quid simile. (nota hic diversitatem inter antiquiores & recentiores Canones) Cum his optime consistit, quod ejus-

eiusmodi homicidia, reverà sint illicita, imò & peccata mortalia. Est, inquit Bernardus tractatu 1. de nova militia cap. 1. qui nec ulciscendi zelo, nec vindicandi typho: sed tantum evadendi remedio interficit hominem: sed nec hanc quidem bonam dixerim victoriam: cum de duobus malis in corpore quàm in anima mori levius sit. Non autem quia corpus occiditur, anima moritur: sed anima qua peccaverit ipsa moritur. Et prosequens materiam cap. seq. exorditur hac interrogacione: Quis igitur finis vel fructus secularis hujus, non dico militia, sed militiæ, si & occisor lethaliter peccat, & occisus aternaliter perit?

Respondetur ad hanc objectionem: communis & recepta sententia est, quod liceat occidere Invasorem vita, ergo inde non recedendum.

Non omnes qui putantur favere sententiæ oppositæ, quod scilicet liceat occidere Invasorem vita, reverà illi favent; quod in S. Thoma omninò credimus nos ostendisse, dum probavimus mentem illius esse quod illicitum sit homini privato voluntariè sive ex intentione occidere invasorem vita; nec aliud ipsum admittere, quam non peccari, si quis defendendo vitam suam, præter intentionem tam formalem quam interpretativam, adeoque involuntariè & casu, aggressorem occidat. Pari ratione credendum, fautoribus sententiæ oppositæ evenisse circa plures alios, præcipuè veteres: quod imprimis patet, circa mox allegata capitula Juris Canonici. Non minus hallucinantur circa Jus Civile, si putent sententiam suam sufficienter esse inde stabilitam, quia in illo legitur: *jure hoc evenit, ut quod quis ob tutelam corporis fecerit, jure factis existimetur*: certissimum namque est, istud non posse intelligi secundum plenam generalitatem istorum verborum; ex gr. si defendens utatur mediis illicitis. Notandum præterea quod ad ista verba habet Glossa ordinaria: *jure scilicet fori non Cæli*.

Lubenter equidem concedimus à recentioribus teneri, imò & ab illis communiter teneri sententiam oppositam; sed quomodo inde conficitur eam esse veram, quandoquidem recentiores tam multa tenuerint, quæ proculdubio sunt falsa; quod imprimis patet in communissima eorum sententia de usu opinionis probabilis. Deinde numquid plures valent Cyprianus, Ambrosius, Augustinus & Bernardus, quam ingens recentiorum numerus? Vide etiam in Supplemento Laurentii Neesen de Jure & Justitia tract. 3. q. 2. dub. 4. plures Sanctos Patres pro eadem sententia citatos. Quibus accedit, quod ipsimet Adversarii in Apologia pro suis Casuistis fereantur multis Patribus & recentioribus etiam Doctoribus ita fuisse persuasum, ne pro vita quidem defendenda hominem privatam auctoritate interfici licere. Hoc nominatim fatentur de Cypriano, Lactantio *Divinar. Institut. lib. 6. cap. 20.* Cyrill. l. 11. in Ioan. c. 12. August. *Græc. tract. de Eucharistia*, Aug. Athonit. *de potestate Eccl. q. 52. art. 3.* His addi modo posset Rev. Adm. Pater Magister Henricus de Noris, qui Sanctum Patrem suum Augustinum imitatus raro & oportunissimo nostris temporibus exemplo, humiliter retractavit quod in hac re perperam ante in Vindiciis suis Augustinianis fenserat, in quibus §. 11. postquam conatus fuerat locum Augustini de lib. arb. explicare ut sententiæ oppositæ non officeret, loquitur in hæc verba: hæc quidem scripseram, quæ ubi typis edita Romæ vir doctissimus legisset, illico me convenit, fere indignatus quod sententiam antiquioris Ecclesiæ Patribus familiarem tam metuculose defenderim. Simul pleraque Patrum testimonia indicavit, quò me inani metu liberaret. Allegatis deinde Augustino, Tertulliano, Cypriano, Lactantio, & Ambrosio prosequitur. Quis autem non videat quantum huic sententiæ auctoritatis pondus adjiciant Ambrosius, Cyprianus, Augustinus? Nonne illa Sanctissimorum ac Doctissimorum Patrum Trias præponderat integræ censure Casuistarum, quos Guimæus, Pirotus, alique Probabilistarum primipili longo ordine recitant, quo testium, si non auctoritate, saltem numero



numero eas opiniones suffulciant, quas uti sanguinarias antiquiores Ecclesie Magistri  
 proseripsere? Profecto novi Theologie Magistri, qui non sine proborum scandalo  
 docuere licitum esse occidere detractorem nostrae famae, immane ac crudele assertum  
 inde deducunt, quod honor pluri faciendus est quam vita, & cum pro hujus defen-  
 sione licitum sit insidiantem atque vim inferentem occidere, potiori ratione non erit  
 reus criminis, qui pro honore defensando, si nullus sit alius evadendi modus, calum-  
 niantem obtruncat. Haec atque longe plura vir ille eruditus protulit, quae quidem alteri  
 etiam insinuasse testatus est, qui ea postea quoque typis excusa vulgavit. Faceat igitur  
 Novorum Casuistarum timor, suos illis relinquamus Tamburinos & Bannios, nos Am-  
 brosium & Augustinum audiemus, cum quibus gloriae vertetur non modo sapere, ve-  
 rum etiam iudicibus Casuistis, errare.

## CONCLUSIO DECIMA.

*In compendio exhibetur duplex doctrina principalis harum Thesium.*

**D**eus ante legem Gen. 9. & in lege Exodi 20. prohibuit homicidium. *His igitur ex-  
 ceptis, quos vel lex justa generaliter, vel ipse fons iustitiae Deus specialiter occidi jubet, quis-  
 quis hominem vel seipsum, vel quemlibet occiderit, homicidii criminis innoxius.* Aug.

S. Augustinus ibidem ex Scriptura Sacra assignat tria exceptionum exempla, quorum 1.  
 In illis qui Deo authore bella gesserunt. 2. In iis qui personam gerunt publicae potestatis. 3.  
 In istis qui ex speciali Dei iussione hominem occidunt: uti paratus erat facere Abraham.

Qui praetendunt alias exceptiones, ex. gr. ob *calumniam*, pro conservatione *unius auri*,  
 vel eorum ad quae *jus inchoatum habemus*, debent illas exceptiones, quemadmodum fecit  
 Augustinus, ostendere. Similiter ostendere debent, qui pro defensione facultatum etiam  
 magni momenti, ut vocant, licitum censent occidere invasorem. Par-obligatio incum-  
 bit afferentibus, licitam esse voluntariam occisionem invasoris vitae.

Sed haecenus nullus probavit, quod aliqua istarum exceptionum divinitus facta sit:  
 ergo dici non potest, quod in ullo istorum casuum liceat occidere hominem voluntarie occidere.  
 Et in his consistit una principalis doctrina harum Thesium.

SS. Augustinus, Cyprianus, Ambrosius, & ut omnino nobis persuasum habemus, etiam  
 S. Thomas, item Bernardus cum pluribus aliis SS. Patribus, qui ab aliis citantur, docent  
 illicitum esse, voluntarie occidere invasorem vitae.


Sententiae SS. Patrum non repugnat lex, *Si effringens fur domum*, Exodi 22. cum solum  
 praescribat quibus occisoribus infligenda sit poena mortis per iudicem, adeoque nec repu-  
 gnat explicationi legis quam habet Augustinus, Item Cap. *si perfodiens*.

Non obstat etiam Cap. *significasti* 2. de Homicidio, quatenus concedit vim vi repellere  
 servato moderamine &c. quia qui voluntarie alterum occidit, non mere repellit aggres-  
 sorem, quia non tantum defensive, sed etiam aggressive in hoc se habet; non servat pro-  
 inde moderamen inculatae tutelae.

Non repugnant Cap. *inofficium* de homicidio, neque Cap. *si vero*, 1. de sentent. ex-  
 communicat. nec *Clement. unica* de homicidio, cum ex his tantum habeatur, quod homici-  
 dia pro defensione vitae in quibusdam personis non debeant puniri, quod non sint casus  
 reservati, aut quid simile; adeoque in illis Capp. potius de poena quam de culpa agitur.  
 Et haec est altera principalis doctrina harum Thesium.


Porro si ex his omnibus habeamus quod non liceat aggressorem vitae occidere, sequitur  
 quod non liceat invasorem facultatum, honoris &c. Adeoque quaestione sic decisa de  
 occisione invasoris vitae, ultra non inquiremus an liceat occidere invasorem facultatum,  
 honoris, &c. sicut ob similem rationem non quaesivit S. Thomas.













Theles  
Doctorū  
Academia  
Lovan.

Th  
2170